

1759. MENSE JANUARIO. VARASDINI.

Articulus Generalis, A. 1759. 8. et sequentibus Mensis Januarii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Generalis Campi Mareschali, unius Legionis Equistris Ordinis Milliciae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Sacratissimae Caesareo Regiae Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Consilarii, Comitatum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Ordinis Militaris Theresiani Magni Equitis, pro die 8. et subsequis Mensis Januarii Anno 1759, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Secundus.

De postulata per Suam Majestatem Sacratissimam iterata Tyronum statutione.

Erga Benignum Suae Majestatis Sacratissimae Rescriptum sub dato 22. Novembris Anni recens evoluti in eo ad SS. et OO. emanatum, ut quemadmodum hactenus per generosam Tyronum peditum statutionem suam in altissimum Suae Majestatis Sacratissimae servitium promovendum alacritatem testati sunt Domini SS. et OO., ita in perdurante adhuc pristina atrocis Belli hujus necessitate ejusmodi Tyronum statutione in subsidium causae publicae alacriter succurrant, determinatum est: ut, qui nuper oblatos Tyrones statuere hactenus omisissent, ac in specie partes etiam Maritimae, quarum Tyrones eotum statuti adhuc domi morarentur, ejusmodi Tyrones effective statuere; illi autem, quorum Tyrones eotum statuti medio tempore fuga nefors elapsi forent, in quantum in gremio Regni delitescere comperirentur, eos restatuere, idque usque ultimam Mensis hujus Januarii teneantur, hic Varasdini Commissarialiter assentandos, hincque ultro expediendos. In reliquo vero siquidem spectato magno militiae ex hoc Regno in castra missae numero, consideratis item desertis copiosioribus, uti et onerum miseram plebem manentium pluralitate gravitateque, DD. SS. et OO. modus non suppetat, numerosioribus Tyronibus Suae Majestati Sacratissimae, a qua alioquin de non trahendo in consequentiam nupernae Tyronum statutionis exemplo clementer assecurati exstiterunt, subveniendi, supplicant Suae Majestati Sacratissimae humillime, dignetur 130 Tyrones a privatis oblatos, quos Suae Majestati Sacratissimae noviter demisse offerunt, benigno animo suscipere, et non hujus numeri exiguitatem pensare, sed iterata sub actuali Bello per DD.